

tivo ad terminum positivum. Consequentia vero probatur: Tum, quia transitus de loco in locum idem est, ac commutatio vnius loci pro alio; sed commutatio vnius loci pro alio importat intrinsecè & essentialiter existentiam in vtroque loco, sicut ad permutationem vnius rei pro alia vtraque res essentialiter & intrinsecè requiritur: ergo existentia mobilis in vtroque loco requiritur essentialiter, vt quid essentialè & intrinsecum motui discreto. Tum etiam: nam sicut simplex mutatio est transitus de termino privativo aut negativo ad terminum positivum, ita motus discretus est transitus de termino positivo ad terminum positivum; sed quia simplex mutatio est transitus de termino privativo ad terminum positivum, pertinet intrinsecè & essentialiter ad eam, quòd mobile prius sit sub non esse termini positivi, & immediatè post sub esse termini positivi: ergo etiam ad motum discretum essentialiter & intrinsecè spectat existentia in vtroque loco.

179 Tum denique: quia motus continuus, & discretus conveniunt in hoc, quòd vterque est suo modo transitus de loco in locum, seu commutatio vnius loci pro alio, licet differant in eo, quòd motus continuus sit per partes, seu per medium vt medium, secus verò motus discretus, vt multoties diximus; sed de ratione intrinsecè motus continui est existentia in vtroque loco: ergo etiam de ratione intrinsecè motus discreti est existentia in vtroque loco. Consequentia à paritate constat. Minor verò probatur: Nam de ratione motus continui est, quòd mobile per eum partim sit in termino à quo, & partim in termino ad quem, vt readit D. Thomas in præf. art. 1. ad 1. ergo est de intrinsecè ratione illius existentia in vtroque loco.

180 Adde primò (per quod preoccupatur quædam tacita obiectio) Nam quamvis de motu continuo verè & propriè verificetur, quòd mobile partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem, dum est in medio, secus verò de motu discreto; at tamen mobile per motum discretum suo modo est etiam partim in termino ad quem, & partim in termino à quo: quia existentia in termino à quo, prout dicit ordinem via & potentialitatis ad existentiam in termino ad quem, est quodammodò medium inter vtrumque terminum: ergo etiam est de ratione illius existentia in vtroque loco.

Adde secundò (per quod dispellitur equivocatio Adversariorum) Nam vel negandus est Angelo motus discretus; vel eadem ratio est ad hoc, vt existentia in vtroque termino sit de intrinsecè ratione ipsius: Nam eadem proprietate, qua verificatur, quòd dum est in termino à quo, nondum movetur, etiam verificatur, quòd iam non movetur, dum est in termino ad quem; sed in instanti, quo verificatur Angelum deserere

terminum à quo, & acquirere terminum ad quem, iam verificatur, quòd est in termino ad quem: ergo vel negandum est, quòd existentia in termino ad quem est de intrinsecè ratione motus; vel concedendum, quòd existentia in vtroque termino est de intrinsecè ratione illius; vel eandem negandus est Angelo motus discretus.

Accedit: quòd motus Angeli discretus se habet ad modum quantitatis discretæ: cum hoc tamen discrimine, quòd quantitas discreta est quid permanens, & motus discretus quid successivum; constat autem, quòd prima unitas est pars intrinsecè numeri, & illi essentialis: ergo etiam motus discretus resultat ex existentia in termino à quo, & ex existentia in termino ad quem velut ex duabus partibus illi intrinsecis & essentialibus.

§. III.

Opinio contraria cum suis fundamentis.

181 **S**cotus in 2. dist. 2. quæst. 12. **M**olina hic, Becan. 1. part. cap. 1. de Angelis quæst. 6. conc. 4. docent, Angelum posse tam motu continuo, quam discreto moveri in instanti de vno loco ad alium proximum, quicquid sit de loco distanti: quorum præcipuum fundamentum ex dictis manet enervatum. Nihilominus:

Arguitur primò: Angelus potest moveri tanta velocitate, vt nulla datur proportio inter eius motum & motum corporis; sed hic excessus nequit stare, si motus Angeli nequit fieri in instanti: ergo Minor patet: Nam inter quolibet duo tempora finita datur aliqua proportio.

Nec valet, si dicas, quòd ad salvandum excessum prædictum non requiritur, quòd Angelus possit moveri in instanti: sed sufficit, quòd eius motus possit exerceri in tempore minori & minori vsque in infinitum.

Non (inquam) valet. Primò: quia ex hoc sequitur, virtutem motivam Angeli esse infinitam. Nam potentia, que potest attingere effectum perfectiorem & perfectiorem in infinitum, est simpliciter infinita: vt liquet in potentia Dei; & conversò in lumine gloriæ creato, quod, quia est simpliciter finitum, non potest esse ratio videndi Deum perfectiori & perfectiori modo in infinitum; sed idem est virtutem Angeli posse moveri in tempore minori & minori in infinitum, ac posse producere effectum perfectiorem & perfectiorem in infinitum: ergo esset simpliciter infinita.

Secundò: Nam inde sequitur, Angelum superiorem non posse moveri velocius, quam inferiori: quia ex vna parte nullus Angelus potest moveri in instanti, & ex alia quilibet An-

ge-

gelus potest moveri in tempore minori & minori in infinitum; hoc videtur absurdum: ergo.

182 Ad hoc argumentum respondetur sustinendo solutionem inter arguendum datam. Et ad primam probationem (que reverè magis vrget contra Adversarios, quia multò magis est posse Angelum moveri in instanti, quam in tempore minori & minori in infinitum, vt ex se liquet) dicendum est, quòd tunc productio effectus perfectioris & perfectioris in infinitum arguit infinitatem simpliciter talem, quando requiritur ex parte causæ perfectio maior & maior in infinitum, scilicet verò quando exigit tantum superioritatem ordinis. Igitur hoc est discrimen inter potentiam Dei & lumen gloriæ ex vna parte, & virtutem motivam Angeli ex alia, quòd potentia Dei, quia potest producere effectus perfectiores & perfectiores vt excedentes in perfectione specificè in infinitum, est simpliciter infinita; & lumen gloriæ, quod potest elicere virtutem intensiorem & intensiorem in infinitum, esset etiam simpliciter infinitum. At virtus, que potest se movere in tempore minori & minori in infinitum, solam requirit superioritatem ordinis: quia tantum petit remotionem omnium impedimentorum, vt reperitur in quolibet Angelo; & est eiusdem rationis cum illis virtutibus, que possunt se extendere ad plura & plura individua in infinitum intra eandem speciem, vt est virtus caloris, qui potest producere plures & plures ignes in infinitum, & quodlibet lumen gloriæ potest se extendere ad plura & plura individua in infinitum intra eandem speciem. Vnde D. Thomas supra quæst. 25. art. 2. ad 3. docet, infinitatem divinæ potentie non manifestari in motu; cum tamen constet, illam posse esse causam motus velocioris & velocioris in infinitum. Per quod patet ad secundam probationem.

183 Arguitur secundò: Nam illuminatio fit in instanti item si corpus moveretur per vacuum, posset moveri in instanti: tandem corpus gloriosum potest localiter moveri in instanti: ergo etiam Angelus. Probatur consequentia: Nam idè in prædictis exemplis verificatur, quia nulla est resistentia ex parte mediæ retardans prædictum motum; sed nec est in Angelo: ergo.

Ad argumentum respondetur, præfata exempla levissima esse. Ad primum enim dicimus, quòd in illuminatione pars luminis, que est in medio, non est eadem cum lumine, quod recipitur in extremo: & sic ibi est ordo causalitatis, qui non requirit successiorem & tempus, sed præcisè prioritatem naturæ. Vnde D. Thomas hic art. 3. in corp. & ad 2. docet, quòd illuminatio non est proprie motus, sed simplex mutatio, quia non est transitus à positivo in positivum, ob quam rationem exercetur in instanti. At in motu Angeli idem Angelus transit per medium ad extremum, & ibi nullus ordo causalitatis reperitur, estque

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

transitus de termino positivo in positivum, idèd- que nequit exerceri in instanti.

Ad secundum, & tertium: Respondetur, quòd successio motus localis non solum provenit ex resistentia mediæ, sed etiam ex natura ipsius motus, qui est transitus à termino positivo ad positivum; & hac de causa nec corpus potest moveri in instanti per vacuum, nec corpus gloriosum. Vnde ex his exemplis potius debet inferri, quòd Angelus nec discrete nec continue queit moveri in instanti. Mittimus alia argumenta, quia, vt monuimus, ex dictis manent enodata.

DISPUTATIO II.

De Intellectu Angeli.

Ramissa disputatione de Angelorum substantia, rectus procedendi modus erigit, vt de eorum proprietatibus sermo instituitur. He sunt intellectus & voluntas: sed quia intellectus est prior origi- & dignitate, prius de illo, necnon de eius principijs, hoc est, speciebus, & de intellectu, agendum est. Sed in limine huius disputationis plura debent supponi vt potèd pertinentia & exagitata in alijs tractatibus. Nam in primis debet supponi, Angelos esse substantias intellectuales, id est, intellectu præditos. Hoc, præterquam quòd est de fide, & colligitur ex pluribus sacra pagine testimonijs, satis constat ex dictis tract. 3. disp. 1. dub. 1. vbi cum D. Thoma ostendimus, omnem substantiam immaterialem esse cognoscitivam, & purè spiritualemente esse intellectuam. Debet deinde supponi cum communi calculo Thomistarum, contra communiem sententiam Iesuitarum, & Scotistarum, intellectum Angeli esse realiter distinctum ab eius natura. Debet etiam supponi, intellectum esse distinctum realiter ab eius intellectu, & potiori titulo ab eius substantia: Quia de eius conceptu est, quòd sit vitalis; sed est contra conceptum vite in actu secundo identitatis realis cum suo principio: ergo debet dari distinctio realis inter intellectum angelicum, & quamlibet eius intellectum. Maxime: quia sola potentia infinita, & que sit actus purus identificat realiter suum actum secundum. Debet tandem supponi ex libris de Anima, ad quamlibet intellectum requiri aliquam speciem.

His præsuppositis.

* * * * *

DU.

DUBIUM I.

Ad qua cognoscenda, substantia Angeli cognoscens gerat munus speciei?

Tria sunt genera entium, pro quibus cognoscens merito potest dubitari, an substantia Angeli cognoscens gerat munus speciei: primum est Deus Optimus Maximus; secundum ipse Angelus cognoscens cum omnibus suis accidentibus tam separabilibus, quam inseparabilibus; tertium omnia alia entia extrinseca sive materialia, sive immaterialia. De his omnibus procedit praefens dubium, quod proinde eget ad sui maiorem lucem in plures assertiones dividi.

§. I.

Affertio prima circa substantiam Angeli cognoscens.

2 Dicendum est primo, Angelam cognoscens merito potest dubitari, an substantia Angeli cognoscens gerat munus speciei: primum est Deus Optimus Maximus; secundum ipse Angelus cognoscens cum omnibus suis accidentibus tam separabilibus, quam inseparabilibus; tertium omnia alia entia extrinseca sive materialia, sive immaterialia. De his omnibus procedit praefens dubium, quod proinde eget ad sui maiorem lucem in plures assertiones dividi.

Et probatur ratione ex Div. Thoma loco proxime relato, aliisque deducta. Nam substantia Angeli habet quicquid requiritur, ut gerat munus speciei ad cognitionem sui: ergo Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam tanquam per propriam speciem. Antecedens probatur: Nam tres conditiones requiruntur in specie, videlicet, quod sit intelligibilis in actu, quod sit proportionata cum potentia, & quod viatur cum ea; sed haec conditiones inveniuntur in substantia Angeli respectu cognitionis sui: ergo Minor probatur: Imprimis substantia Angeli est omnino immaterialis, cum careat materia physica: ergo est intelligibilis in actu. Patet consequentia: nam species intelligibilis non aliter reddit obiectum intelligibile, nisi depurando illud a materia. Deinde intellectus dimanat a substantia Angeli tanquam eius proprietates: ergo est debita proportio inter substantiam Angeli & eius intellectum. Consequentia est legitima: nulla enim maior proportio potest excogitari, quam inter substantiam & eius proprietates adequatas. Tandem quilibet substantia est magis unita cum potentia quam quilibet alia species in ea recepta: & ab extrinseco adveniens, cum sit ea magis inseparabilis: ergo est etiam intimè unita cum potentia.

Et confirmatur: Nam in visione beata essentia divina gerit munus speciei intelligibilis;

non alia ratione nisi quia inveniuntur tres conditiones supra assignatae, ut vidimus tract. 2. disp. 2. dub. 1. ergo etiam substantia Angeli gerit munus speciei, dum cognoscit seipsum.

3. Respondebis cum Vazquez, concedendo in essentia Angeli respectu proprii intellectus duas priores conditiones, nempe, intelligibilitatem in actu, & proportionem cum illo; negando tamen ultimam, scilicet unionem. Nam est essentia Angeli sit unita cum suo intellectu; haec tamen unio est praecise in esse naturali, ultra quam requiritur alia unio in esse intelligibili, quae debet esse distincta a priori. Nam in visione in esse naturali essentia se habet per modum subiecti, & intellectus per modum formae; cum tamen in visione in esse intelligibili oppositum debeat evenire. Item in qualiter visione formae cum subiecto forma ponitur super subiectum, ideoque ad unionem intelligibilem essentia Angeli cum proprio intellectu requirebatur, quod ultra unionem in esse naturali, in qua essentia intelligitur priusquam intellectus, daretur alia unio, in qua intellectus esset prior quam essentia, & haec superponeretur supra illam; quod difficile apparet. Ex alio capite haec unio in esse intelligibili videtur repugnans formae per se subsistenti, ut est essentia Angeli: nam in omni visione ex forma & subiecto, forma habet rationem partis; quod est contra rationem formae per se subsistentis.

Haec evasio ex omni capite corrigit, si recolantur, quae late diximus tract. supra relato disp. 2. per totam. Ex quibus refellitur primo: Nam eo ipso, quod substantia Angeli habet duas priores conditiones, & ultra eas unionem cum proprio intellectu in esse naturali, infallibiliter sequitur habere etiam unionem in esse intelligibili: ergo nihil ei deest ad rationem speciei. Antecedens probatur: Nam eo ipso, quod essentia divina habet illas duas priores conditiones respectu intellectus proprii & intellectus creati, & addat aliquam incertam unionem in esse entitativo sive per identificationem, sive per intimum illapsum, necessario inferitur habere unionem cum ei in esse intelligibili: ergo pariter, eo ipso quod essentia Angeli habet duas priores conditiones, & in unionem in esse naturali, infallibiliter sequitur habere etiam unionem in esse intelligibili.

4. Refellitur secundo: Nam utraque unionem essentia Angeli cum eius intellectu expressè tradit D. Thomas quaest. 8. de Verit. art. 6. ad 2. ubi ait: *Essentia Angeli, quomodo non potest comparari ad intellectum eius ut actus ad potentiam in essendo* (in visione in esse naturali) *comparatur ut actus ad potentiam in intelligendo* (ecce unionem in esse intelligibili, quae fundatur in praecedenti) ergo essentia Angeli utroque genere unionis unitur cum proprio intellectu.

intellectum. Patet consequentia: nam in visione naturali essentia nequit uniri cum intellectu nisi per modum subiecti, ut optime vidit Vazquez: ergo si ultra hanc faceret D. Thomas aliam per modum formae, & in esse intelligibili, vel expressè deferretur D. Thomas; vel concedenda est unio essentia Angeli per modum speciei cum proprio intellectu.

5. Refellitur tertio autoritate, & exemplis; simulque occurrit ad id, quod in praefata evasione adducitur de superpositione essentiae supra intellectum: Nam ut inquit D. Thomas loco proxime relato ad 6. *Nihil prohibet aliquid esse in altero, & illud in eo diversis modis, sicut totum in partibus, & e converso. Essentia enim Angeli est in intellectu eius, sicut intelligibile in intelligente: intellectus autem in essentia sicut potentia in substantia. En quomodo concedit illam duplicem unionem, Et illam confirmat cum visione partium cum natura totali: nam non repugnat, quod natura totalis ita se habeat per modum formae respectu partium, quatenus eas formalizat, quod partes se habeant per modum causae formalis, quatenus dant esse naturae totali, quin obitet esse causam & effectum in eodem genere causae formalis, quia est in diversa specie causae formalis, & secundum diversas consideraciones: ergo posteriori titulo hoc non repugnabit inter essentiam Angeli, & eius intellectum: cum hoc sit in diversis ordinibus, videlicet naturali, & intelligibili.*

Quod illustrari potest alio exemplo: Nam essentia comparatur ad existentiam per modum subiecti illam recipientis; & tamen potest etiam comparari ad illam per modum causae formalis: ergo, quod essentia Angeli comparatur per modum subiecti respectu ad proprium intellectum, non obest, quod possit ulterius comparari ad illum per modum formae intelligibilis. Consequentia est legitima propter proximè dicta, & proximè dicenda. Maior, & minor solum egent explanatione: Nam existentia recipitur in essentia tanquam in proprio subiecto: ergo habet rationem subiecti deinde essentia determinat existentiam ad certam speciem: ideo enim existentia est huius speciei potius quam alterius, quia est huius essentiae potius quam alterius.

Ex his quarimus a Vazquo: dum partes concurrunt per modum causae formalis respectu naturae totalis, vel superponuntur supra eam; vel non? Idemque inquirimus de essentia respectu existentiae. Quancunque igitur partem dilemmatis eligat, possumus & nos eam amplecti in casu praesenti, quin ex hoc sequatur aliquod absurdum.

6. Refellitur quarto, & simul occurrit ad id, quod addebatur de forma per se subsistenti. Nam ut inquit D. Thomas in hac 1. p. quaest. 56, art. 1. in corp. *Nihil differt, ad hoc quod for-*

ma sit principium actionis, quod ipsa forma sit aliquando inherens, & quod sit per se subsistens non enim minus calor calefaceret, si esset per se subsistens, quam calefacit inherens. Sic igitur, & si aliquid in genere intelligibilem se habeat ut forma intelligibilis subsistens, intelligit se ipsum. Angelus autem, cum sit immaterialis, est quaedam forma subsistens, & per hoc intelligibilis actu, unde sequitur quod per suam formam, quae est sua substantia, seipsum intelligat.

Maximè: quia licet sit contra rationem formae per se subsistentis uniri cum aliquo subiecto aut quasi subiecto per inherentiam aut in formationem, hoc est in esse naturali; non tamen est contra eius perfectionem uniri in esse intelligibili, ut liquet in essentia divina unita intellectui beati: ergo ex hoc capite non est, cui ratio speciei denegari debeat essentiae Angeli respectu proprii intellectus. Antecedens probatur ex dilectissime praecipuo inter unionem intelligibilem, & unionem per informationem aut inherentiam forma limitatur per subiectum: in visione enim intelligibili forma non limitatur a subiecto, sed est in ea cum tota sua amplitudine, ut pluries diximus tract. 2. disput. supra citata: e converso in visione per informationem aut inherentiam forma limitatur per subiectum. Ex quo oritur aliud discrimen, nempe quod forma in posteriori visione habet proprie rationem partis, secus verò in priori. Utrumque autem discrimen ortum ducit ex alio principio inter nos inconcussio, & satis in Arist. & D. Thoma firmato loco proxime relato, nempe, quod forma intelligibilis unitur per identitatem cum intellectu, cuius oppositum evenit in visione sive per inherentiam sive per informationem: ergo non est contra rationem formae per se subsistentis uniri per modum formae in intelligibili.

7. Ex dictis inferitur, Angelum per suam substantiam tanquam per speciem cognoscere suas proprietates. Et ratio est: Nam species representans quidditative & comprehensive aliam formam conducit ad cognoscenda omnia ea, quae in illa continentur, & quorum est radix & origo; sed substantia Angeli est huiusmodi respectu suarum proprietatum: ergo Angelus per suam substantiam cognoscit suas proprietates. ¶ Et confirmatur: Nam species accidentalis residens in uno Angelo & representans alium, simul representat omnes eius proprietates: ergo idem dicendum est de substantia Angeli quidditative representante seipsam in ordine ad suas proprietates. Dubium tamen est de alijs accidentibus in Angelo cognoscere existentibus, an per suam substantiam tanquam per speciem ea cognoscat. Sed de hoc idem iudicium ferendum est ac de accidentibus communibus existentibus in quolibet Angelo, ita ut si unus Angelus per speciem, qua alium cognoscit

quidditative & comprehensivè, cognoscit etiam omnia eius accidentia communia, etiam Angelus cognoscens se per suam substantiam cognoscit per eam omnia sua accidentia communia: par enim est in utroque casu ratio. Sed ad hoc ex infra dicendis constabit.

Oppositam sententiam nostræ assertioni defendunt Aletius, Marsilius, & Henricus, quibus adungi potest Vazquez, quatenus docet, Angelum ad cognoscendum seipsum non indigere specie distincta ab eius intellectu, sed ipsum intellectum sufficere. Eorum tamen argumenta soluta manent tract. 2. disp. 2. dub. 1. & 4. ubi omnino videri debeat, ne acta iterum agamus.

§ II.

Assertio secunda explicans verbum, in quo Angelus se cognoscit.

Dicendum est secundò, substantiam Angelii in cognitione sui non vniari per modum verbi, sed produci aliquid verbum ab ipsa substantia & intellectione distinctum. Hac assertio procedit contra Caiet. quæst. 27. art. 1. §. Ad tertium, & Nazarium. Eam tamen tenent communiter Thomistæ, & cum eis N. Complut. in lib. de Anim. & N. Salm. tract. 2. disp. 2. num. 248. Que primò potest fulciri testimonio D. Thomæ 4. Contra gent. cap. 11. ubi prius concedens substantiam Angelii ad cognitionem sui rationem speciei impressæ, postea negat rationem verbi seu speciei expressæ his verbis: *Per se cognoscit seipsum. Nondum tamen ad ultimam perfectionem vita ipsorum perveniet: quia licet intentio intellecta sit in eis omnino intrinseca, non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia, quia non est in eis idem intelligere & esse.*

Deinde probatur ratione ex prædicto testimonio deducta: Nam substantia, quæ per seipsum est actu intelligibilis & intellecta, est simpliciter infinita, sed si substantia Angelii vniatur per modum verbi in cognitione sui, per seipsum esset actu intelligibilis & intellecta: ergo licet substantia Angelii habeat rationem speciei in cognitione sui, nequit per seipsum vniari per modum verbi. Consequentia constat: Et minor est certa: nam de ratione speciei est reddere obiectum actu intelligibile, & de ratione verbi est reddere illud actu intellectum. Maior autem probatur: Nam substantia, quæ in aliqua linea identificatur secum à prima vsque ad ultimam actualitatem, est simpliciter infinita, & ita nulla substantia creata ob hanc rationem identificat suam existentiam, nec suam operationem; sed substantia, quæ per seipsum est actu intelligibilis & intellecta, identificat à prima vsque ad ultimam actualitatem in linea intelligibili: ergo

est simpliciter infinita. Minor probatur: Actus primus in linea intelligibili est obiectum esse actu intelligibile ratione speciei, & actus secundus seu ultimus eiusdem lineæ est esse actu intellectum ratione verbi, & ex se liquet: ergo substantia, quæ per seipsum est actu intelligibilis & intellecta, identificat à prima vsque ad ultimam actualitatem in linea intelligibili.

Et confirmatur primò: Nam videtur essentia divina potest supplere vires verbi in visione beata, quia est actus purus seu infinita; & ideo est actus purus, quia est actu intelligibilis & intellecta per seipsum, ut fuscè tradidimus tract. 2. disp. 2. dub. 6. præsertim num. 91. ergo, cum substantia Angelii non sit actus purus, nequit per seipsum esse actu intellecta, nec exercere rationem verbi.

9 Confirmatur secundò, simulque præcluditur quadam evasio, quæ huic rationi potest adhiberi: Nam si substantia Angelii potest vniari per modum verbi in intellectione sui, identificaret sibi intellectionem, ac proinde esset actus purus tam in linea intelligibili, quam in linea intellectiva; sed hoc repugnat ergo repugnat etiam, quòd vniatur per modum verbi. Maior probatur: nam intellectio mediat inter speciem & verbum, vel quia est productio verbi, vel quia est unio actualissima intellectus actuati per speciem cum obiecto seu verbo: ergo si substantia Angelii per seipsum vniatur per modum verbi, identificaret secum ipsam intellectionem. Patet consequentia: nam quidquid identificat secum extrema, etiam identificat debet quidquid mediat inter ea: cumque intellectio mediet inter speciem & verbum, si substantia Angelii identificat secum rationem speciei & verbi, necessario debet eum identificare intellectionem.

10 Sed obijcies primò: Nam inter substantiam per modum naturæ & speciem mediat intellectus; & tamen, ex eo quòd substantia Angelii vniatur per modum speciei, non sequitur, quòd identificet secum intellectum: ergo pariter ex eo quòd vniatur per modum verbi, non inferitur, quòd identificet secum intellectionem.

Obijcies secundò: Nam quodlibet obiectum identificatur cum specie & verbo in esse intelligibili; & tamen inde non probatur esse actum purum adhuc in esse intelligibili: ergo ex eo quòd substantia Angelii exerceret per seipsum rationem speciei & verbi, minus rectè arguitur esse actum purum, Maior continet doctrinam à nobis stabilitam tract. 2. disp. 2. dub. 2.

Obijcies tertio: Nam verbum productum per intellectionem est eiusdem immaterialitatis cum specie, solumque addit quandam maiorem actualitatem, finitam tamen supra speciem: ergo substantia, quæ suppleret vires verbi, non haberet maiorem materialitatem, quam habet in

ratione speciei, nec maiorem actualitatem, quam habet verbum productum: ergo haberet immaterialitatem, & actualitatem finitam, ac proinde non esset actus purus.

Obijcies quartò: Nam substantia Angelii non solum est actu intelligibilis, sed semper est actu intellecta à seipsa, quia est necessitata ad intellectionem sui: ergo habet rationem verbi.

11 Ad primam obiectionem respondetur, negando maiorem, si in sensu rigoroso sumatur. Hac enim est differentia inter intellectionem respectivè ad verbum, & speciem seu obiectum comparativè ad intellectum, quòd intellectio est egressio vitalis ab intellectu & productio verbi, & his de causis nequit non mediate inter speciem & verbum. Obiectum verò five per seipsum, five per speciem comparatur ad intellectum tanquam extremum vniari immediate cum intellectu, eiusque unio fieri potest vel per superpositionem speciei supra intellectum, ut contingit in omnibus speciebus accidentalibus; vel per immediatam coniunctionem substantiam per modum naturæ cum intellectu, ex qua oritur unio sui cum illo in esse intelligibili, ad quod non requiritur, quòd superponatur supra intellectum, sed quòd supposita unione in esse entitativo & per modum subiecti, stante eadem situatione (ut sic dicamus) rerum, vltimus substantia ipsa vniatur intellectui per modum formæ intelligibilis. Et ita contingit in substantia Angelii. Unde non sequitur, quòd proprie loquendo intellectus mediet inter substantiam Angelii per modum naturæ, & inter seipsum per modum speciei, & ob eandem rationem non oportet, quòd substantia identificetur cum intellectu.

12 Ad secundam respondetur, iuxta dicta loco citato in obiectione num. 38. quòd identificatio inter obiectum, speciem, & verbum propterea non arguit summam actualitatem, quia fit medijs tribus entitatibus realiter distinctis, proindeque identificatio ista non est simpliciter talis, sed tantum secundum quid & in linea diminuta. At si substantia aliqua per seipsum vniatur in ratione speciei & verbi, identificaret absolute & simpliciter adhuc in linea intelligibili à prima radice eiusdem lineæ vsque ad ultimam eius actualitatem, quod est proprium actus puri. Reccolantur ibi dicta.

Ad tertiam respondetur, quòd licet verbum productum per intellectionem non dicatur actualitatem summam & infinitam, verbum tamen indistinctum à specie & obiecto necessario debet esse actus purus: quia tunc obiectum excludit omnem vim potentialitatis & limitationis. Quòd illustrari potest hoc exemplo: existentia enim creata, quia diligitur realiter ab essentia, non est actus purus, est sic actus vltimus naturæ. At si identificaretur realiter

cum essentia, hæc esset actus purus. Idem argueretur ex identificatione substantiæ cum potentia immediate operativa, & ex identificatione potentie cum operatione. Pariformiter ergo dicendum est de substantia, quæ per suammet entitatem posset exercere rationem speciei & verbi.

Ad quartam respondetur, quòd si aliquid convinceret, argueretur ex ea, quòd substantia Angelii non distinguitur ab intellectione sui, quod est omnino implicitorium. Magis ergo requiritur ad hoc, ut substantia Angelii identificet secum intellectionem & rationem verbi, quam ad hoc quòd sit necessitatus ad intellectionem sui. Ad primum enim requiritur, quòd excludat omnem potentialitatem tam in ordine intelligibili, quam in ordine intellectivo, & hoc est proprium actus puri. Ad secundum tantum desideratur, quòd sit vivens: omne enim vivens necessitatum manet ad vitam in actu secundo, ut liquet in vegetabilibus, maxime sensitivo, quod necessitatum est ad motum cordis: & cum in Angelis non sit alia operatio, seu vita in actu secundo præter intelligere & velle, & inter omnes eius intellectiones ad nullam magis determinetur quam ad cognitionem sui propterea est necessitatus ad sui actualitatem cognitionem. Sed de hoc tortè nonnulla dicemus infra.

§ III.

Assertio tertia explicans speciem, quæ Angelus Deum Authorem naturalium cognoscit.

Dicendum est tertio, Angelum neque per aliam speciem superadditam cognoscere Deum quidditative, licet abstractive, cognitione naturali: substantiam verò illius concurrere per modum speciei incognitæ, & per modum obiecti prius cogniti ad cognitionem Dei naturalem. Hac conclusio quoad omnes suas partes traditur à N. Salm. in præf. disp. 6. dub. 4. & 5. Et quoad primam partem procedit contra Scotum, & nonnullos Patres Societatis: quoad secundam contra Ferre, Rios, & alios paucos Thomistas: & quoad tertiam contra Nazarium.

Quoad primam partem, suppositis his quæ tradidimus ex D. Thomæ tract. 2. disp. 2. dub. 5. facile suadet: Nam species representans Deum quidditative debet esse eiusdem immaterialitatis cum Deo; sed repugnat species creata, quæ sit eiusdem immaterialitatis cum Deo: ergo Angelus neque per suam substantiam, neque per aliam speciem superadditam potest cognoscere Deum quidditative cognitione naturali.

14 Respondetis, permittendo maiorem de representatione intuitiva Dei, secus verò de representatione quidditative abstractiva.

Contra est *primò*: Nam omnis species representans Deum quidditative, esse representaret abstractive, debet esse eiusdem immaterialitatis cum Deo: ergo ruit solutio. Antecedens probatur: Nam omnis species representans quidditative aliquid obiectum, vel representat illud immediate, vel mediate; sed neutro modo potest illud representare, nisi sit vel eiusdem, vel maioris immaterialitatis cum eo: ergo species creata esse representaret Deum abstractive, si tamen representaret eum quidditative, erit eiusdem immaterialitatis cum Deo. Minor solum eget explanatione: nam tunc species representat aliquid obiectum mediate quidditative, quando obiectum per se primò representatum continet per modum causæ eminentis aliquem effectum: quo pacto essentia divina representat creaturas, & certum est, quòd nulla species creata hoc modo representat Deum mediate quidditative. Et tunc species representat immediate quidditative, quando continet in esse representativo naturam ipsius obiecti, quod est idem ac esse eiusdem immaterialitatis cum obiecto: ergo species representans Deum quidditative, est abstractive, debet esse vel eiusdem, vel maioris immaterialitatis cum Deo.

Secundò: Nam non fiat, speciem aliquam representare Deum quidditative, & non representare illum intuitive; ergo si repugnat species creata representans Deum intuitive, etiam repugnat species creata representans Deum quidditative. Antecedens probatur: Tum, quia omnis species representans obiectum quidditative, si semel est existens, etiam representat illud intuitive: cum notitia intuitiva non distinguatur specie à quidditative abstractive, sed tantum penes quandam denominationem extrinsecam, quatenus notitia intuitiva connotat rem ut existentem, notitia vero quidditative abstractive connotat illam ut non existentem, que differentia est extra genus notitiæ, & se tenens præcisè ex parte obiecti, absque ulla immutatione ex parte ipsius notitiæ aut speciei. Tum etiam: quia existentia Dei est quidditas essentialis illius: ergo species representans Deum quidditative, etiam representat illum ut existentem, ac proinde intuitive.

15 Secunda pars conclusionis, videlicet quòd essentia Angeli concurret per modum speciei incognitæ ad cognitionem Dei naturalem, aperte colligitur ex D. Thoma quasi, 56. art. 3. Et probatur eius ratione: nam Angelus per se ipsum Deum cognoscit, in quantum est imago & similitudo Dei, iuxta illud Ezechiel. 28. *Tu signaculum similitudinis*: ergo substantia Angeli concurret per modum speciei incognitæ ad cognitionem Dei naturalem. Consequentia probatur: nam non fiat esse similitudinem Dei, & vel talem uniri intimè cum eius intellectu, & non concurrere per modum speciei impressæ; sed

substantia Angeli uniri intimè cum suo intellectu per modum speciei, secundum totum id, quod representat: ergo, cum sit similitudo Dei, debet ad eum cognoscendum concurrere per modum speciei impressæ.

Urgetur hoc: Eatenus aliquid concurret præcisè per modum obiecti cogniti ad cognoscendum aliud, quatenus se habet pure extrinsecè per modum obiecti: sicut finis concurret per modum obiecti prius cogniti ad cognitionem ignis, quia non uniri cum potentia: contra species fumi concurret etiam per modum speciei ad cognoscendum ignem, quia est uniri intrinsecè cum potentia, & aliquo modo representat ignem, itaut non solum sit speciei impressæ fumi, sed etiam ipsius ignis: ergo cum substantia Angeli sit similitudo Dei, & aliunde sit per se ipsum uniri cum suo intellectu, nequit non concurrere per modum speciei impressæ ad cognitionem Dei naturalem.

16 Confirmatur: Nam idipsum præstat substantia in actu primo seu per modum speciei, quod præstat verbum productum per suam cognitionem; sed verbum, quod Angelus producit per cognitionem Dei naturalem, non solum concurret per modum *verbi* ad cognoscendum seipsum, sed etiam ad cognoscendum Deum autorem naturalem: ergo etiam substantia Angeli concurret per modum *speciei* ad cognitionem Dei naturalem. Maior est certa: quia verbum continet in actu secundo omne id, quod continet species in actu primo. Minor vero probatur: tum, quia id habet verbum in ratione *verbi*, quod habet cognitio in ratione *cognitionis*, sed cognitio, qua Angelus cognoscit seipsum, se extendit ad cognoscendum Deum autorem naturalem: ergo etiam verbum productum per cognitionem sui representat Deum autorem naturalem. Tum etiam: nam quando nos ex cognitione effectus pervenimus naturali discursu ad cognitionem causæ, producimus verbum, quod representat ipsam causam, alias per cognitionem causæ deductam ex cognitione effectus vel nullum verbum produceretur, vel iterum produceretur verbum productum per cognitionem effectus; sed Angelus discursu virtuali seu eminentiali præstat totum id, quòd nos facimus discursu formali: ergo verbum, quod Angelus producit per cognitionem sui & Dei authoris naturalis, etiam representat ipsum Deum.

17 Tertia pars, scilicet, quòd substantia ducit ad cognitionem Dei naturalem per modum obiecti cogniti, sicut finis ducit hoc modo ad cognitionem signati, expressè traditur à D. Thoma loco suprà relato, ubi ait: *Vnde magis ista cognitio tenet se cum speculari, quia ipsa natura Angelica est quoddam speculum divinam similitudinem representans*; sed similitudo, que in speculo resultat, solum se tenet ut obiectum prius visum: ergo substantia An-

Dub. I. Ad que cognoscenda, substantia Angeli cognoscens gerat &c.

geli ducit ad cognitionem Dei naturalem per modum obiecti prius cogniti.

Et probatur hac brevi ratione: Nam substantia Angeli est similitudo Dei; aliunde Deus nequit immediate ab Angelo naturaliter cognosci: ergo ducit ad cognitionem Dei naturalem per modum obiecti prius cogniti ut quod. Antecedens quoad utramque partem satis patet ex supra dictis. Consequentia vero probatur: nam omne obiectum quod est alteri simile, eo ipso quòd in se cognoscatur, & alterum non cognoscatur immediate, nequit non ducere ad cognitionem illius.

Et confirmatur: Nam qui comprehendit effectum alicuius causæ, nequit ex vi huius cognitionis non cognoscere causam; sed Angelus est effectus similis Dei: ergo, cum Angelus cognoscat se comprehensivè, nequit non ex vi huius cognitionis cognoscere Deum autorem naturalem. Iam sic; sed iste modus cognoscendi causam per effectum se habet per modum obiecti cogniti: ergo.

18 Sed contra primam partem conclusionis arguit Scotus: Angelus cognoscit Deum autorem naturæ cognitione clara & distincta; sed per suam substantiam nequit cognoscere Deum cognitione clara & distincta, sed confusa: ergo Angelus cognoscit Deum naturam iter per speciem distinctam à sua substantia. Minor est certa: nam substantia Angeli nequit Deum representare clarè & distinctè; ideoque non potest illum cognoscere clarè & distinctè per suam substantiam. Maior vero probatur: Nam Angelus cognoscit Deum naturaliter perfectiori modo, quam homo in statu innocentis; sed iste excessus nequit se explicare nisi elevando cognitionem, qua Angelus cognoscit Deum, ad hoc ut sit clara & distincta: ergo, Maximè quia Div. Thomas quasi, 18. de Verit. art. 1. ad 2. videtur concedere homini in statu innocentis speciem solum Deum representantem.

Et confirmatur *primò*: Nam non repugnat species creata quidditative simulque abstractive Dei: ergo defacto datur in Angelis. Antecedens probatur: Nam D. Paulus post baptismum recordabatur divinis essentis; sed hoc nequit fieri nisi per speciem ex visione relictam in memoria, & divinam essentiam distinctè representantem: ergo non repugnat species creata quidditative simulque abstractive Dei.

Confirmatur *secundò*: Cognitio naturalis, qua Angelus Deum cognoscit, est eiusdem speciei in omnibus Angelis: ergo debet fieri per speciem ipsam Deum per se primò representantem. Consequentia videtur legitima: quia cum cognitio sumat speciem à suo principio, quod habet rationem formæ, si non datur huiusmodi speciei, tot erunt principia, quot sunt substantiæ Angelorum, ac proinde iuxta distinctionem Angelorum erunt distinctæ cognitiones natura-

les Dei. Antecedens vero probatur: Nam beatitudo naturalis est in omnibus Angelis eiusdem speciei; sed in cognitione naturali Dei consistit beatitudo naturalis Angelorum: ergo cognitio Dei naturalis est in omnibus Angelis eiusdem speciei. Maior probatur *primò*: Quia beatitudo supernaturalis est in omnibus eiusdem speciei: ergo etiam beatitudo naturalis. *Secundò*: Quia terminatur ad idem obiectum, nempe ad eundem finem naturalem. *Tertiò*: Quia elicitur medio habitu sapientiæ, qui in omnibus est eiusdem speciei.

19 Ad argumentum respondetur, distinguendo mai. *cognitione clara & distincta*, que simul sit quidditative, neg. mai. *alter con. mai.* Dicimus ergo, quòd Angelus nequit distinctè & quidditative cognoscere naturaliter Deum, quia hic modus cognoscendi est proprius status beatifici & supernaturalis. Bene verum est, quòd cognoscit Deum secundum aliqua prædicata specialia, quatenus cognoscit Deum esse ens per essentiam, infinitum, æternum &c. qua cognitione distincta gaudebat homo in statu innocentis: quod & non amplius intendit Div. Thomas loco in argumento relato, vt videri potest in hac 1. part. quasi, 64. art. 1. ad 3. Semper tamen hæc cognitio resultat ex creaturis, & ad modum earum. Cum quo rectè componitur, quòd cognitio Angeli esset perfectiori, quam cognitio hominis in illo pacatissimo statu: quia Angelus cognoscebat per medium immaterialis, quam homo, vt ex se constat.

Ex quo facile percipies differentiam inter cognitionem, qua Angelus per suam substantiam cognoscit naturaliter Deum, & aliam Angelum: nam alium Angelum tantum cognoscit confusè, quia non cognoscit illum, nisi quoad prædicata communia Angelo cognoscendi, & Angelo cognito; ad eum modum quo homo per speciem representativam hominis cognoscit equum quoad gradum communem animalis: Ac Deum non solum cognoscit quoad prædicata communia, sed etiam quoad aliqua prædicata specialia ipsius Dei. Et ratio huius discriminis est: quia cognitio, quam vnus per suam substantiam habet de alio, solum fundatur in convenientia vnus cum alio: cognitio vero, quam habet de Deo, non fundatur in sola convenientia analogica inter utrumque, sed etiam in eo quod est effectus similis Dei, qui petit ab eo fieri per creationem & ex nihilo. Et hinc provenit, quòd cognoscens hanc imaginem perfectissimam, cognoscit Deum secundum ea prædicata, que exiuntur in Deo, vt producat talem imaginem, inter que sunt aliqua propria, vt sunt ea, que supra retulimus, & alia huiusmodi.

Ad primam confirmationem respondetur, negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus, Div. Paulum post baptismum non recordasse

divina essentia, sed aliarum rerum quas alias in ea vidit. Et ideo non fuit necesse, quod in eo remaneret species essentie divina. Sed pro hoc vide N. Salm. tract. 17. disp. 3. a n. 84. ¶ Ad secundam responderetur, negando antecedens, pariterque maiorem suam probationis. Nec eius motus aliquid convincunt: Non primum, quia beatitudo supernaturalis in omnibus beatis habet idem obiectum primum, nempe, essentiam divinam, cuius oppositum contingit in beatitudine naturali. Nec secundum, propter eandem rationem. Nec tertium: quia sicut intellectus angelici distinguuntur specie, ita habitus naturales intellectuales; quam distinctionem satis persuadet diversitas eorum immaterialitas.

20 Contra secundam partem conclusionis arguit Ferre primò ex D. Thoma 1. part. quest. 56. art. 3. ubi ait: *Magis ista cognitio tenet se cum speculari: quia & ipsa natura Angelica est quoddam speculum divinam similitudinem representans.* Constat autem, quod similitudo retulans in speculo solum se tenet ex parte obiecti visi, non ex parte potentia: ergo substantia Angeli non est species impressa ad cognoscendum Deum naturaliter, sed tantum ducit ad cognitionem Dei naturalem per modum obiecti prius cogniti.

Secundò: Nam essentia Angeli eo modo representat Deum, quo effectus similis causae representat causam; sed licet ad cognoscendam causam in effectu sufficiat species effectus, nunquam tamen species effectus est species causae: ergo etiam Angeli non indigeat specie distincta à sua substantia ad cognoscendum Deum naturaliter, non sequitur esse speciem impressam Dei. ¶ Confirmatur: Substantia Angeli tantum est similitudo virtualis Dei; sed hæc similitudo non sufficit, ut sit species impressa Dei, quia non movet intellectum nisi vt cognita: ergo.

21 Ad primum ex autoritate desumptum: Responderetur, Angelicum præceptum stare pro nobis, cum dicat ibi, quod cognitio, qua Angelus Deum cognoscit per suam substantiam, comparatur visioni, media similitudine existente in potentia. Comparatur insuper speculo: quia eius substantia non solum habet rationem speciei ad cognoscendum Deum, sed etiam rationem obiecti prius cogniti.

Ad secundum responderetur, quod effectus dupliciter ducit in cognitionem causae, sicut causa in cognitionem effectus: primò vt obiectum cognitum, in quo cognoscitur effectus: secundò quatenus immittit speciem in potentiam, que primario & formaliter representat effectum & virtualiter causam. Licet ergo prius non sufficiat ad rationem speciei, bene verò posterius. Et hoc modo se habet substantia Angeli vt vnica cum suo intellectu, que primario representat seipsam, & secundario & virtualiter Deum,

ideoque ad cognoscendum vtrunque exercet munus speciei. Per quod constat ad confirmationem: nam similitudo virtualis sufficit ad rationem speciei, vt constat in essentia divina, que est species impressa omnium creaturarum, et id representat illas tantum virtualiter, quidquid dicit Ferre.

Contra tertiam partem conclusionis nullum argumentum alicuius momenti obijcit Nazarius, cui oportet occursum iri.

§. IV.

Affertio quarta, in qua declaratur, substantiam Angeli cognoscens non deservire ad cognitionem claram alterius obiecti à se distincti?

22 **D**icendum est quartò, substantiam Angeli cognoscens non sufficere ad cognoscendam clarè, distinctè, & quidditative alia obiecta extrinseca, sed ad hoc indigere speciebus superadditis. Secunda pars evidenter inferitur ex primo, si vera est sententia N. Complut. de Anima disp. 17. quest. 1. ubi probant, ad omnem cognitionem necessariam esse aliquam speciem: quam expresse docet D. Thomas pluribus in locis, quem sequuntur Scotus & communiter Scholastici, excepto Vazquez cum alijs locijs.

Prima verò & præcipua pars assertionis traditur à D. Thoma in hac 1. part. quest. 55. art. 1. ubi ait: *Solus Deus cognoscit omnia per suam essentiam. Angelus autem per suam substantiam non potest omnia cognoscere, sed oportet, intellectum eius aliquibus speciebus perficere ad res cognoscendas.*

Deinde probatur ratione, qua præcluditur quadam evasio, que prædicto testimonio potest adhiberi: Nam essentia Angeli nequit continere sive in esse entitativo, sive in esse intelligibili aliud obiectum extra se: ergo nequit habere rationem speciei ad cognoscendum aliud obiectum extra se existens. Consequentia est legitima: quia vt ex Arist. 11. Methaphys. text. 51. & ex D. Thoma loco citato ad 2. constat, intellectus in actu est res intellecta in actu, in quantum res intellecta debet esse intra intellectum per formam, per quam intelligitur. Antecedens quoad primam partem est certum: quia constat ex genere & differentia distinctiva ab alio quolibet obiecto extrinseco. Quoad secundam verò probatur: nam id quod per se primò est institutum adendum, non ad representandum, non potest aliud præcontinere nisi id, quod continet in esse entitativo; ad differentiam eorum que per se primò instituta sunt ad representandum, que quia provisa sunt à natura ad supplendum defectum ipsius nature in esse entitativo, bene possunt continere alia à se: &

sic

sic videmus dari speciem lapidis representantem lapidem & continentem naturam lapidis; sed substantia Angeli non est per se primo instituta ad representandum, vt ex se liquet: ergo nequit continere in esse intelligibili naturam alicuius obiecti extrinseci.

23 Oppositam sententiam tenuerunt alij, qui, qui supprelo nomine referuntur: & quoad Angelos eam probabiliter reputat D. Thomas q. 8. de Veris. art. 7. licet aperte præferat nostram sententiam, vt recolenti eius verba conitabit.

Arguitur tamen primò: Angelus cognoscit se comprehensive per suam substantiam: ergo per suam substantiam cognoscit quidditative omnem ens naturalem. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Nam qui comprehendit causam, etiam cognoscit quidditative omnes actus illius, necnon obiecta illorum connaturalia; sed substantia Angeli medio intellectu, & voluntate est causa omnium volitionum, & intellectuum: ergo si seipsum comprehendit per suam substantiam, cognoscit quidditative omnia entia naturalia. *Augeatur:* Eoipso quod omnipotentia sit causa omnium possibilium, qui comprehenderet omnipotentiam, cognosceret quidditative omnia possibilia: ergo pariter, si Angelus est causa omnium suarum intellectuum & volitionum, potest cognoscere per suam substantiam omnes intellectiones & volitiones, ac proinde omnia obiecta illarum materialia, si per seipsum se comprehendit.

Confirmatur primò: Nam ens in tota sua latitudine est obiectum ad quatum intellectus Angeli, ita taliter quod habeat virtutem proximam ad cognoscendum omne ens naturale; sed Angelus per suam substantiam comprehendit suum intellectum: ergo etiam cognoscit perfecte totum ens naturale. Patet consequentia: quia comprehensa potentia debet perfecte cognosci obiectum eius connaturale.

Confirmatur secundò: Nam comprehensa essentia Angeli, etiam comprehenduntur species naturales in eo existentes: sed comprehensio speciei, etiam cognoscitur quidditative earum obiecta: ergo cum Angelus per suam substantiam seipsum comprehendat, etiam comprehendit species omnium rerum naturalium, & consequenter per eam cognoscit omnia entia naturalia. Maior probatur: Nam species deservens ad cognoscendum Angelum, etiam deservit ad cognitionem omnium aliorum accidentium, que in ipso sunt, vt supra insinuavimus.

Arguitur secundò: Nam species angelica representans naturam communem, etiam representat naturam sub ea contentas sufficienter modo ad cognoscendas eas quidditative; sed essentia Angeli representat rationem communem entis, necnon rationem communem intellectuales: ergo etiam representat omnes rationes particulares contentas sub ente & sub genere intellectuali: ergo Angelus per suam substantiam potest

est cognoscere quidditative omnia entia naturalia sive materialia, sive spiritualia.

24 Ad primum argumentum: Responderetur, concedendo antecedens, sed negando consequentiam. Cuius probatio in multis deficit: deficit enim in primis in eo quod comprehendit essentia Angeli, debeant cognosci quidditative omnes eius intellectiones & volitiones. Quia ex comprehensione essentie tantum sequitur cognitio quidditativa illorum adum seu effectuum, quorum est causa ad quata & necessaria; intellectus verò Angeli non est causa ad quata omnium suarum intellectuum, quia ad eas iterum requiruntur species superadditæ. Deficit etiam in eo, quod cognitio quidditative & comprehensive intellectuum, cognoscatur quidditative obiecta earum: nam Christus per scientiam in usum comprehendit visionem beatam, & non propterea cognoscit quidditative essentiam divinam, que est obiectum primum visionis. Neque vniquam suavit argumentum ab omnipotentia, propter apertam disparitatem inter eam & intellectum nostrum: omnipotentia enim est virtus ad quata essentie divine, que ad quata & perfecte continet omnia: unde non est mirum, quod comprehensa omnipotentia, cognoscatur comprehensive omnes eius effectus. Intellectus autem angelicus non est huiusmodi respectu omnium suarum intellectuum: ideoque ex cognitione quidditativa & comprehensiva sui non inferitur cognitio quidditativa omnium eius intellectuum.

Ex his responderetur ad primam eius confirmationem: quod ex comprehensione intellectus creati tantum inferitur cognosci eius obiectum imperfectè & continue: quia omnia entia in particulari tantum continent in potentia, vique dum informetur speciebus cuiuslibet entis in particulari. ¶ Ad secundum responderetur etiam ex eisdem, quod ex comprehensione essentie Angeli solum inferitur quadam cognitio imperfecta & confusa omnium specierum accidentium in eo existentium sub esse intelligibili, quidquid sit de cognitione earum secundum suam esse entitativam, de quo infra.

Ad secundum argumentum: responderetur, concessis præmissis, negando consequentiam. Et ratio discriminis fuit in diverso modo representandi naturam communem, quem habet substantia Angeli & alia species accidentalis. Substantia enim Angeli representat directe & per se primò rationem atomam, & indirectè & ex consequenti conceptus communes at species accidentalis per se primò representat rationem communem, & ex consequenti rationes differentiales, vt infra dicemus: & ob hanc disparitatem species accidentalis deservens in Angelo ad cognoscendam naturam communem deservit ad cognitionem perfectam rationum particularium, secus vero substantia Angeli.

DUBIUM II.

Utrum Angelus cognoscat alium Angelum, vel substantiam materiale, per hoc quod utraque unitur cum Angelo cognoscendo per modum speciei?

In dubio precedenti vidimus, substantiam Angelis cognoscentis non esse speciem sufficientem ad cognoscenda alia a se distincta & extrinseca. Superest vt videamus, an substantia obiecti cogniti possit vniri per modum speciei?

§. I.

Duplex assertio.

25 Dicendum est *primò*, res materiales non posse vniri per modum speciei intellectui angelico. Hanc conclusionem expressè tradit D. Thomas infra quæst. 57. art. 1. & quæst. 2. de Verit. art. 2. quem sequuntur communiter Scholastici, & præcipue omnes Thomista. Et probatur eius ratione: nam inter intellectum & speciem in eo connaturaliter receptam requiritur convenientia in eodem gradu immaterialitatis; sed nullum obiectum materiale habet aliquam convenientiam in immaterialitate cum intellectu angelico: ergo obiectum materiale nequit per modum speciei vniri cum intellectu angelico. Maior pronunc supponitur, maxime quia illam tradit D. Thomas loco supra relato ex 1. part. vbi ait: *Omne quod est in aliquo, est in eo per modum eius, in quo est.* Minor verò probatur: nam nullum obiectum materiale habet convenientiam in immaterialitate cum intellectu humano, ideòque neque vnitur neque potest vniri cum eo per modum speciei: imò nec color per suammet entitatem vnitur cum potentia visiva, nec aliud obiectum materiale cum sensibus internis: ergo nec habet convenientiam in immaterialitate cum intellectu angelico. Hæc ratio, quæ efficacissima est, novum robur accipiet ex proxime dicendis pro secunda assertionem.

26 Dicendum est *secundò*, substantiam Angelis cogniti non posse vniri per modum speciei cum intellectu alterius Angelis cognoscentis. Hanc etiam conclusionem expressè docet Div. Thomas in hac 1. part. quæst. 56. art. 2. quæst. 8. de Verit. art. 7. & 2. Contra gent. cap. 98. vbi ratione tertia ita concludit: *Impossibile igitur videtur, quòd vna (videlicet substantia separata) videatur ab altera per essentiam suam.* Angelicum Magistrum sequuntur omnes eius discipuli, & plures extra eius Scholam.

Et probatur *primò* ratione: Nam substans

tia vnus Angelis nequit cum intellectu alterius Angelis vniri per modum speciei seu in esse intelligibili, quin vnatur cum illo aliqua vnione in esse naturali; sed substantia vnus Angelis nequit vniri vllò genere vnionis in esse naturali cum intellectu alterius Angelis: ergo neque potest vniri per modum speciei. Probatur maior: Tum, quia esse intelligibile fundatur supra esse entitativum: sicut ergo nequit dari esse pure intelligibile nisi fundatum in esse entitativo, ita nequit aliquid vniri cum alio in esse intelligibili, nisi præsupponatur aliqua vnione in esse entitativo. Tum etiam: quia essentia divina (etò sit magis præcisiva) adhuc non vnitur per modum speciei cum intellectu beati nisi præcurre vnione entitativa per intimum illapsum. Tum denique: quia nulla alia species vnitur in esse intelligibili, nisi præsupponatur aliqua vnio entitativa vel per inhærentiam, vt contingit in omni specie accidentali; vel per modum subiecti cum potentia, vt si habet substantiam Angelis cum proprio intellectu.

27 Deinde probatur minor primi syllogismi: Nam in esse entitativo non aliter potest vniri nisi vel per informationem, vel per modum puri termini, vel per intimum illapsum (vno per inhærentiam non habet locum, quia est propria accidentium) sed substantia vnus Angelis nequit vniri cum intellectu alterius vllò ex istis modis: ergo nequit vniri in esse naturali. Maior est certa: quia inter substantiam extraneam, & intellectum non est excogitabilis alius modus vnionis. Minor verò quoad singulas partes ostenditur: nam impetrans vno per informationem est propria substantia partialis; sed essentia Angelis est substantia completa & per se subsistens: ergo nequit vniri per informationem. Deinde vno per modum puri termini est propria Dei, vel suppositi simpliciter infiniti, vt tradimus in nostro tract. de Incarnat. disp. 4. dub. 4. ergo substantia Angelis nequit vniri cum alieno intellectu per modum puri termini. Adde: Quia hic modus vnionis solum competit subsistentiæ & existentiæ, prout distinguitur à natura: ergo oportebat assignari vnionem ipsius essentiæ, cui proprie competeret ratio speciei.

Tandem illabi menti alicuius est proprium solius Dei, vt docet communis sententia PP. inter quos D. August. de Eccl. cast. Dogmat. cap. 83. D. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. vbi loquens de Angelis sic ait: *Inest singulis naturalis terminus, quo à se invicem discernuntur: quia nullus eorum in alio est.* D. Bernard. serm. 5. in Cant. circa fin. inquit, nullam creatorum spirituum per se mentibus nostris applicari. Idemque debet colligi de vno Angelo respectu alterius. His & alijs Patribus perpetuo suffragatur Div. Thomas, vt videri potest in 2. dist. 8. quæst. vnic. art. 5. in corpore, & ad 3. in cap. 13. Ioann. lect. 4. 2. Contra gent. cap. 98. rat.

Dub. II. Utrum Angelus cognoscat alium Angelum, vel substantiam &c. 179
§. 2. part. quæst. 8. art. 8. ad 1. aliisque in locis.

28 Huius rationi, relicta alijs evasivis minoris momenti, potest responderi cumuario hic lib. 2. cap. 5. num. 13. & alijs locis, illabi menti alicuius posse accipi dupliciter; vel strictè quatenus ingredi mentem alterius importat plenum dominium circa talem mentem, itaut pro sua solum libertate cognoscat, & amet; quo pacto anima est in homine. Vel magis late, quatenus præcisè potest quis aliquid operari in eo, cui illabitur. Licet ergo illapsus primo modo sumptus sit proprius solius Dei, de quo præcisè loquuntur Patres supra relati, secus verò illapsus posteriori modo acceptus, hieque sufficit ad hoc, vt Angelus vnatur per modum speciei cum intellectu alterius.

Hec solutio imprimis refel itar expressè à D. Thoma quæst. 8. de Verit. art. 7. his verbis: *Potest autem fortè dici, quòd hic modus est conveniens quantum ad modum intelligendi, quo inferiores intelligunt superiores, vt scilicet inferior superiorum intelligat per essentiam superioris &c. Sed hæc via posset sustineri fortassis apud Philosophos, qui posuerunt superiores intelligentias esse inferiorum creatrices: sic enim poterant ponere quodammodo, quòd superior Angelus inferiori esset intimus quasi causa conservans eum in esse. Quòd quidem apud nos dici non potest nisi de solo Deo, qui mentibus Angelicis & humanis illabitur. Forma autem, qua intellectus intelligit, oportet, quòd sit intra intellectum intelligentem in actu. Unde non potest dici de aliqua substantia spirituali, quòd per essentiam suam ab alia videatur, nisi de solo Deo.*

Et confirmatur ex eodem Div. Thoma 3. part. quæst. 64. art. 1. vbi ait: *Quid solus Deus operatur (intelligit per modum cause principalis) interiore effectum sacramenti: quia solus Deus illabitur anima, in qua sacramenti effectus existit:* ergo iuxta D. Thomam non solum illapsus, qui importat plenum dominium circa mentem alterius, & coincidit cum illapsu rigoroso intra terminos essentiæ, sed etiam ille, quo aliquid reale in mentem alterius imprimitur, est proprius solius Dei, & nulli creaturæ saltè vt causæ principali potest competere.

29 Deinde refellitur ratio: Nam vnus Angelus nequit illabi menti alterius aliquid in ea producendo, nisi illabatur illi illapsu stricto, operando scilicet intra terminos essentiæ; sed vnus Angelus nequit operari intra terminos essentiæ alterius Angelis, aut animæ nostræ: ergo neque potest illabi menti alterius, aliquid in ea producendo. Consequencia est legitima. Minor est certa: nam termini illius sunt vel ipsa essentia, vel substantia & existentia; &

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

omnino certum est, vnum Angelum non posse producere essentiam, substantiam, aut existentiam alterius Angelis, aut animæ nostræ, cum fiant per creationem. Maior verò, in qua est difficultas, probatur: Nam qui illabitur in alio, operando aliquid intrinsecum in eo, est intra terminos illius: ergo si illabitur menti alterius, debet esse intra terminos essentiæ. Consequencia probatur: nam qui illabitur corpori operando aliquid in eo, continetur intra terminum corporis, qui est superficies: ergo qui illabitur menti alterius, debet etiam contineri intra terminum illius, qui est existentia. Quam rationem desumptimus ex D. Thoma loco supra relato Sent. ad 3. vbi ait: *Esse intra aliquid est esse intra terminos eius. Corpus enim habet terminos duplices rationis, scilicet quantitatis & essentiæ: & idem Angelus operans intra terminos corporalis quantitatis, corpori illabitur, non autem ita quòd sit intra terminos essentiæ suæ, nec sicut pars, nec sicut virtus dans esse. Substantia autem spiritualis non habet terminos quantitatis, sed tantum essentiæ, & in ipsa non intrat nisi ille, qui dat esse.*

Reboratur hoc: Nam sicut vnum corpus; dum est in alio corpore, est intra terminum illius, qui est superficies, ita dum vnus Angelus esset in alio, debet esse intra terminum illius; sed terminus substantiæ spiritualis solum est substantia & existentia: ergo si Angelus esset in alio per suam substantiam, debebat esse intra existentiam illius: iam sic: sed hoc non potest esse nisi per modum partis informantis, quod est impossibile, vel per modum dantis esse, quod est idem ac illabi illapsu rigoroso: ergo.

Et confirmatur: Vt Angelus illabatur menti alterius agendo aliquid in ea, prius debet illam contingere immediate immediate substantiæ; sed hic contactus seu vnio nequit esse per modum partis seu per informationem; vt ex se liquet; neque per modum continentis aut conservantis esse, quia fit per creationem: ergo nequit illabi menti alterius producendo aliquid in ea. Maior debet supponi: tum, quia supponitur, Angelum illabi menti alterius: tum, quia id maxime tenet in sententia Adversariorum: tum, quia inter agens & passum spirituale debet dari approximatio substantialis, quia nullum est medium, per quod influxus agentis deferatur in passum. Minor quoad vtranque partem est certa. Et consequentia probatur: nam eo ipso quòd datur vnio substantialis, debet Angelus illabens contineri intra terminos illius, sicut vnus corpus penetrat in cum alio est intra terminum illius, qui est superficies; sed mens nostra aut Angelus non habet alios terminos præter existentiam: ergo debet illabi menti alterius per modum continentis esse

Z 2 illius.

illus, vel non potest illabi producendo aliquid in ea.

Hinc deducitur, quod Angelus non potest illabi intellectui & voluntati alterius, propter eandem rationem, videlicet, quia non habent alium terminum præter suum esse existentiam, quod fit etiam per creationem.

§. II.

Alia duplex ratio pro assertione secunda.

30 **P**robatur secundò ratione eadem assertio: Nam neque Angelus inferior potest vniri per modum speciei cum intellectu Angelis superioris, neque Angelus superior cum intellectu Angelis inferioris: ergo substantia Angelis cogniti non potest vniri per modum speciei cum intellectu alterius Angelis cognoscens. Antecedens quoad primam partem probatur: Tum, quia species vnita cum intellectu per modum potentiam simplicis debet omnino convenire cum eo in immaterialitate, sed Angelus inferior est minoris immaterialitatis, quam intellectus Angelis superioris: ergo Angelus inferior nequit vniri per modum speciei cum intellectu superioris. Tum etiam: nam forma intelligibilis est perfectio intelligentis; sed essentia Angelis inferioris non potest esse perfectio Angelis superioris, vt tradit Div. Thomas 2. Contra gent. cap. 98. ratione 4. & quest. 8. de Verit. art. 7. ergo. Quoad secundam partem etiam probatur. Nam essentia Angelis superioris non convenit in immaterialitate cum intellectu Angelis inferioris: ergo Angelus superior nequit vniri per modum speciei cum intellectu inferioris.

Et confirmatur, præcludendo communem evasionem Adversariorum, & explanando magis prædictam rationem: Nam inter speciem, & intellectum non solum requiritur convenientia in gradu immaterialitatis, sed etiam requiritur, quod convenient in modo habendi talem immaterialitatem; sed quamvis Angelus inferior & superior habeant eundem gradum immaterialitatis, vnus autem excedit, vel deficit à modo immaterialitatis alterius, vt supponitur: ergo essentia Angelis superioris nequit vniri per modum speciei cum intellectu inferioris, nec e converso. Maior probatur: Nam species, quæ sunt in intellectu vnus Angelis, nequeunt recipi in intellectu alterius, quamvis convenient in eodem gradu immaterialitatis, non alia ratione nisi quia non habent modum omnino proportionatum cum intellectu alterius: ergo.

Nec par ratio est de essentia divina vnita per modum speciei cum intellectu beati: Tum, quia non vnitur cum illo, quatenus iste habet rationem potentiam simplicis; sed quatenus eleva-

tur ad ordinem divinum medio lumine gloriæ, quod est quadam participatio formalis intellectus divini. Tum etiam: quia essentia divina in ordine intelligibili est infinita, & propter hanc rationem est satis proportionata (quantum est ex se) cum quolibet intellectu: at essentia Angelis, cum sit finita, non potest vniri per modum speciei cum alieno intellectu, quamvis possit vniri cum proprio.

31 Ultimò probatur ratione eadem assertio: Nam si substantia vnus Angelis posset vniri per modum speciei cum intellectu alterius, vel iste intelligeret illum necessariò, vel liberè; neutrum dici potest: ergo substantia vnus Angelis nequit vniri per modum speciei cum intellectu alterius. Minor quoad primam partem probatur: Tum, quia Angelus cognoscens non necessitatur à seipso ad cognoscendum alium, qui vnitur per modum speciei, aliàs esset necessitatus ad cognoscenda omnia alia objecta. Tum etiam: quia Angelus cognoscendus non est subiectus Angelo cognoscenti, nisi vniretur per informationem aut inhaesionem, vt contingit in habitibus & alijs speciebus: ergo non concurret necessariò. Quoad secundam partem etiam probatur: quia Angelus cognoscens non possit concurrere liberè, nisi Angelus cognoscendus vellet simul concurrere: ad quod necesse est, quòd vterque prævideat ad invicem voluntatem alterius, & ei consentiat, quod est impossibile propter rationem generalem, quæ actus liberi vnus Angelis sunt alteri occulti: & propter rationem specialem, quia priori ad cognitionem quomodo potest cognoscere quid alter velit? ergo neque potest concurrere liberè. Nisi forte dicatur, quòd concursus vtriusque est casualis & fortuitus, quod est chimericum.

32 Nec refert, si dicas cum Adversarijs, quòd, vt vnus Angelus cognoscat alium, sufficit, quòd ex parte Angelis cognoscenti detur voluntas & permissio ad hoc, vt cognoscatur. Hac enim voluntate & permissione supposita, est potestas libera in Angelo cognoscente ad determinandum Angelum cognoscendum ad hoc, vt concurrat cum illo, & in Angelo cognoscendo necessitas ad concurrendum, scilicet quòd a cognoscente determinetur.

Non inquam refert: Nam hæc evasio importat apertam contradictionem, nempe quòd substantia Angelis cognoscenti vnitur per modum forme cum intellectu Angelis cognoscentis, & quòd non vnitur. Nam qua parte determinatur ab Angelo cognoscente ad hoc, vt concurrat cum illo ad sui cognitionem, habet rationem forme: nam proprium est forme determinari ab eo, quòd operatur per modum suppositi seu principij quoad. Et qua parte liberum est Angelo cognoscendo, vt determinetur à cognoscente, nequit habere rationem forme sive in essentiativo, sive in esse intelligibili, quia est contra-

tra rationem forme, quòd ab ea radicaliter oriatur determinatio suppositi ea ventis, vt inductive potest ostendi in omnibus formis vtriusque ordinis.

§. III.

Opposita sententia cum suis fundamentis.

33 **C**ontra primam conclusionem nulla datur opposita sententia. Sed contra secundam sententiam nonnulli Recentiores ex Societate, & Seraphica familia. Pro qua arguitur primò: Nam essentia cuiuslibet Angelis est actu intelligibilis: ergo potest vniri per modum speciei cum alieno intellectu. Consequentia est legitima: nam non ob aliam rationem essentia Angelis vnitur per modum speciei cum proprio intellectu, & essentia divina cum alieno, nisi quia sunt actu intelligibiles. Antecedens verò probatur: Nam essentia Angelis est omnino immaterialis; sed intelligibilitas in actu fundatur in immaterialitate: ergo est actu intelligibilis. ¶ Adde primò: Nam species accidentalis non est magis actualis & immaterialis quam essentia Angelis: ergo cum intellectu, in quo illa est, etiam essentia Angelis potest vniri per modum speciei. Secundò: Nam essentia vnus Angelis magis proportionata est cum alieno intellectu, quam essentia divina: ergo si hæc potest vniri cum illo per modum speciei, etiam illa.

Ad hoc argumentum respondetur, distinguendo antecedens: Est actu intelligibilis respectu intellectus proprii, conc. antecedens; respectu alieni, neg. antecedens. Quia ad hoc requiritur, quòd esset omnino immaterialis tam physice, quam metaphysice, hoc est quòd non solum careat materia physica, sed omni potentia. Nam proprium est solius actus puri posse vniri per modum speciei cum quolibet intellectu, sicut proprium est solius actus puri posse terranare alienam naturam per modum suppositi.

Ad primum additamentum: Respondetur, negando antecedens. Quia cum essentia Angelis non sit actu intelligibilis respectu alieni intellectus propter rationem proxime traditam, & propter alias adnotatas in nostra assertione, & aliunde reddatur intelligibilis per speciem accidentalem, nequit non hæc esse magis actualis, quam essentia Angelis. Cum quo recte coheret, quòd ipsa essentia Angelis sit æque aut magis actualis, quam species accidentalis, si comparatur ad proprium intellectum, & species accidentalis sit in intellectu Angelis inferioris. Ad secundum additamentum constat ex dictis ad argumentum.

34 Arguitur secundò: Angelus potest mentis hominis illabi: ergo etiam essentia alterius

Angelis: ergo potest vniri per modum speciei. Antecedens, in quo est difficultas, probatur primò ex illo Ioann. 13. vbi de Iuda dicitur: Post buccellam introiit in eum Satanas; sed non inerat in corpus, cum non illud torqueret: ergo in animam. Secundò: Angelus movet localiter animam separatam, vt constat ex illo Luca 16. vbi dicitur, Angelos portare animam pauperis in sinum Abrahæ: ergo potest illabi illi lapsa improprio, qui consistit in productione alicuius qualitatis in ea, & sufficienti ad producendum in ea aliquam speciem, & ad se vnendum cum illa per modum speciei.

Et confirmatur ex D. Thoma quodlib. 2. art. 13. vbi ait, demones per necromantiam alligari aliquibus annulis potestate superiorum demonum; sed hoc non potest fieri, nisi superior virtute sua natura operetur aliquid in inferiori: ergo Angelus superior potest illabi essentia Angelis inferioris producendo aliquid in ea, ac proinde potest vniri per modum speciei.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Ad cuius primam probationem: dicendum est cum D. Thoma ibi lect. 4. quòd diabolus, proprie loquendo, non introiit in mentem Iudæ: Dicitur tamen diabolus illabi menti humanæ per assensum & essentiam malitiam, in quantum scilicet homo ab eo seductus sequitur eum ad perpetrandum malum. Et paulò infra: Diabolus tunc intrat in cor, quando homo totaliter dat se ad sequendum eius insinuationem, & in nullo resistit. Intravit ergo in eum (id est in Iudam) Satanas, vt plenius consideret, & ad perpetrandum malitiam induceret, in quem prius miserat, vt deciperet. Videatur omnino totum commentarium D. Thomæ, vbi aperte declarat nostram sententiam, & explanat dilucidè ingressum demonis in Iudam. Ad secundam: Respondendum est dupliciter, iuxta duplicem sententiam satis probabilem, aliam asserentem animam separatam se movere localiter; aliam oppositam affirmantem: iuxta priorem asserendum est, quòd anima patiens, proprie loquendo, non deferretur ab Angelis, sed improprè, quatenus ei assiliebant. Iuxta posteriorem, si non movebatur à seipsa virtute divina, sed deferretur ab Angelis: dicendum est, quòd hæc portatio sit ab Angelis per modum instrumenti Dei; ad quod non requiritur intus illapsus Angelis in animam, vt infra dicemus.

Ad confirmationem respondetur, illam alligationem Angelis inferioris à superiori non provenire physice ab illo, sed tantum moraliter, in quantum demon inferior subordinatus est superiori, & ei obedit in procuranda hominum perniciæ.

35 Arguitur tertio: Nam falsum est, requiri intus & rigorosum illapsum, ad hoc